





1. Dav. Vogel diff. ex creatio Mundi et  
     lumine nature demonstrari queat. 1704.  
 2. Chr. Marcorij diff. ex Gen. i vi. 1723.  
 3. Joach. Hildebrandi diff. de creatione unius. 1657.  
 4. Berth. Derrichow diff. de immortalitate  
     primi hominis. 1629.  
 5. Christ. Marcorij diff. de voluntate Adami. 1710.  
 6. ioh. Huelmanni diff. de Lazaru primorum  
     parentum. 1637.  
 7. Mart. Correll diff. II, de flavijs praedictis. 1706.  
 8. Aug. pfeifferi, diff. de homicidio Lanckii. 1671.  
 9. Christ. Neubaur diff. de signo quod Deas.  
     Caini posuit. 1672.  
 10. ioh. phil. pfeifferi diff. de homicidio Lanckii. 1670.



26

DISPUTATIONEM PHILOGICAM  
IN

*EXODI CAPITIS SEXTI VERSICULUM TERTIUM:*

וְאֵת אֶל אַבְרָהָם אֶל יִצְחָק וְאֶל יַעֲקֹב כְּאֵת  
שְׁרֵי וְשְׁמֵי יְהָוָה לֹא נְרוּעָתִי לְהַסֵּן :

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
CONSENSU  
*VENTILABUNT*  
PRÆSES

M. FRIDERICUS VON SCHÆWEN  
ET

RESPONDENS

HE N R I C U S C H R I S T O P H O R U S  
*Wilhelm/ Reg. Pruss.*

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

A. R. O. cl<sup>o</sup> Icc<sup>o</sup> xxi. DIE XXI. MAJI AB HORA VIII. AD XI.

*REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.*

VIRIS,

*Maxime Reverendo atque Excel-  
lentissimo*

**JOHANNI  
JACOBO  
OVANDT,**

S. S. Theol. Doctori, ejusque Pro-  
fessori designato Ordinario Quarto Ce-  
leberrimo, S. Regiæ Majestatis in Borussia  
Concionatori Aulico supremo Fa-  
cundissimo, & Consistorii Sambi-  
ensis Consiliario Gra-  
vissimo,

*Præceptoris suo atque Evergetæ quovis obseruantie cultu  
Suspiciendo,*

Ac

*Præ-Nobilissimo Consultissimoque*  
**CORNELIO  
HOOFMANNO,**  
J.U. Doctori Celebri, simulque  
Mercaturæ Peritissimo ,

*Fautor i suo ac Mæcenati Honoratissimo ,*

A  
Dissertationem hanc Philologicam  
cum sincero  
omnigenæ prosperitatis voto,  
mente manuque pia  
dedicat

RESPONDENS.

§. I.



X dicto in Rubro præsentis Dissertationis nostræ allegato facile qvis judicaret, nomen יהוה Patriarchis ignotum prorsus fuisse, quia in ejus hemistichio posteriori qvoad litteram expresse dicitur, DEum Abrahamo, Isaaco & Jacobo nomine suo יהוה non innotuissé, prout etiam hujus intuitu quondam D. LUCAS OSIANDER in Bibliis suis ad verbum nostrum controversum, aliisque, a B. AUGUSTO PFEIFFERO Centuria I. *Dubiorum Vexatorum*, Loco LXXXVI. num. I. p. m. 115. citati, revera ita statuerunt. Hinc Philologiam amantes illud varie explicare conati sunt.

§. II.

JOHANNES BUXTORFIUS, Filius, *Dissertatione V. Philologico-Theologicarum*, quæ est de *Nomini-bus DEI Ebrais*, Thes. XVII. pag. 250. & seq. existimat, Patriarchas nomen יהוה perspectum quidem habuisse, sed vim ejus & efficaciam non satis intellexisse, neque adeo claram DEI cognitionem ex eo fuisse assescutos. Quare loco citato verba Mosis sic vertit: *Appari Abrahamo, Isaaco & Jacobo, in EL SCHADDAI & nomine meo יהוה*, neque tamen notus factus sum illis. In Accentuationem autem fundamentum sententiæ magni alias Philologi hujus, ipsaque versio illa impingunt. Enimvero constat ex Accentuatione, quod in libris S. Scripturæ Prosaicis, unusquisque versus prolixior in duo hemistichia sit divisus, quorum prius Imperator Athnachus regulariter absolvit.

A

Quæ

<sup>2</sup>

Quæ itaque voces post Athnachum ponuntur, istæ non amplius ad prius, sed posterius hemistichium versus pertinent. Atqui voces יְהוָה in loco controverso post Athnachum occurunt. Ergo non construenda ista sunt cum præcedentibus שְׁדִי בָּאֵל, verum cum sequentibus לֹא נָרַעֲתִי רְהָבָת, hac ratione: *sed nomine meo יְהוָה non notus factus sum illis.*

### §. III.

Maxime Reverendus D. DANZIUS. *Theologus & Philologus Jenensis Celeberrimus*, in interprete suo Ebraeo-Chaldaeo cap. V. §. 231. p. 360. inque ejusdem interpretis Ebraeo Chaldae Synopsi c. V. §. 179. p. 224. cum aliis quibusdam, posterioris hemistichii dicti nostri adverbio negandi לֹא, cum admiratione quadam conjunctam vim interrogandi assignat, ut per *nonne, annon*, exponi debeat, ac sensus sit, DEum utique Patriarchis & nomine suo יְהוָה innotuisse. Jam negari non potest, ᄀ interrogativum, quod particulæ לֹא præmittendum erat, aliquando in Codice Ebraeo deesse, ceu inductione id probavit B. GLASSIUS Lib. IV. Philol. Sacrae Tract. I. Observ. I. de Pronomine præfixo ᄀ, Nota III. col. m. 1149. ac seq. Quia tamen expositio ista emphasin, quæ in textu latet, quamvis in subsequenti §. VI, monstrabimus, non exhaustit, sed nihil amplius evincit, quam quod Patriarchæ nomen יְהוָה non ignoraverint, de quo nullum alioqui est dubium, ex hoc potissimum fundamento eam admittere vix quispiam poterit.

### §. IV.

Clarissimus HENR. BENED. STARCK in ביאורי המקרא ad Exodi c. VI. v. 3. pag. 75. in dicto hoc controverso verbo ראה jurandi significationem tribuit, pro-

pronomenque לאם non ad Patriarchas ; Abrahamum,  
 Isaacum & Jacobum, verum ad posteros eorum, Israelita-  
 tas, refert, ac putat, indicari in eo, DEum Ter Opti-  
 mum Maximum ipsis quidem Patriarchis per שׁוֹרֵן אֶל,  
 quinimo per יְהוָה quoque, jurasse, sed posteris eorum,  
 Israelitis, non item. Jam vero his per nomen suum  
 jurare, quod eos ex terra Ægypti certe educturus sit.  
 Eapropter, vestigia Excell. MATTHÆI HILLERI,  
 S. S. Theol. Graceque & Orient. Lingg. Professoris Tubin-  
 genfis, in ספר שמות vel, Onomastico Sacro , Tubin-  
 gæ A. cī 1606. edito , Libro Primo, seu parte priori,  
 c. XVI. pag. 250. premens, illud cum duabus immediate  
 præcedentibus vocibus , & versu subinsequenti IV. V. &  
 VI. ita interpretatur : Ego sum Jehova ( i. e. UT SUM  
 JEHOVA !) Apparueram quidem Abrahamo, Isaaco &  
 Jacobo in EL SCHADDAI ( juraveram Abrahamo :  
 Ut sum EL SCHADDAI Genes. XVII. 3. Juraveram ei-  
 dem יְהוָה UT SUM ! So wahr ich bin ! fædus ineo recum,  
 ut tu multitudinis pater evadas , loco codem vers. 4. Jura-  
 mentum hoc firmaveram Isaaco : Praestabo juramentum il-  
 lud , quod juravi Abrahamo patri tuo , Genes. XXVI. 3. Ju-  
 raveram Jacobo : UT SUM JEHOVA , DEus Abrahami  
 Patris tui &c. Genes. XXVIII. 13.) At nomine meo Je-  
 hova, in juramentum assūmto, nondum innotui ILLIS,  
 quos oneribus Ægyptiis levabo, Israelitis. Quin etiam , in-  
 terposito juramento, stabiliveram foedus cum illis (Abra-  
 hamo, Isaaco & Jacobo) me daturum illis (Israelitis, eorum  
 posteris) terram Cananæam, terram peregrinationum co-  
 rum, in qua peregrini commorantur (Pates.) Insuper  
 etiam ego audivi querimonias Israelitarum , quos Ægyptiis  
 servire cogunt, & recordabor foederis mei. Quapropter

4

hoc à me Israelitis renunciato : UT SUM JEHOVA  
( qui Patribus vestris innotuit ) ita subducam vos Ægyptiorum  
oneribus &c.

§. V.

Quod hanc HILLERI & STARCKII de sensu  
textus nostri mentem concernit, eam non approbamus,  
quia ( I. ) nullo firmo nititur fundamento. Adducitur  
quidem locus Ezech. c. XX. v. 5. 6 modo sequenti: *Sic  
dicit Dominus Jehova DEus, quo die elegeram Israelem, tum  
elevabam manum meam ( i. e. jurabam ) semini domus Jacobi, לְהַנִּזְקֵן וְאֶרְוֹעֵן & innotescebam ipsis in terra Ægypti : ele-  
vabam, inquam, manum meam ipsis, dicendo, ego sum Je-  
hova DEus vester. Eodem, inquam, die elevabam manum  
meam ipsis, me educturum eos ex terra Ægypti.* At enimve-  
ro, quantum nos colligere valemus, in hunc potissimum  
finem, ut evincatur, pronomen אלה Exod. VI. v. 3. po-  
steros potius Patriarcharum, quam Patriarchas ipsos re-  
spicere, quia ibidem affirmatur, DEum manum suam se-  
mini Domus Jacobi elevasle, ipsisque in terra Ægypti notum  
factum esse, in quo, cum id veritati etiam conveniens  
sit, siquidem, ceu §. sequens clarius docebit, Israclitæ,  
jam jam ex onerosa servitute Ægyptiaca educendi, pro-  
prie objectum loci citati existunt, facile conséntimus. Si-  
cubi vero Autores allegati ex adducto Ezechielis loco de-  
monstrare voluerint, sèpius memorata verba Mosis, dicta  
in §. præcedenti ratione, explicanda esse, regerimus ( a )  
sub judice item adhuc existere, an Ezechielis c. XX. v.  
5. 6. elevare manum idem sit ac jurare. Sane, manum  
elevare non modo significat jurare, sed etiam, graviter pu-  
nire, item, gratiam & auxilium præstare, quod docet  
MATH. POLUS, in Synopsi sua Criticorum ad Eze-  
chielis

5

chielis verba : *Levavi manum meam &c.* scribens : Phrasis hac variè accipitur. Gestus hic est (1.) jurantis : q. d. Juravieis. (2.) ejus, qui potentiam suam (gratiam scilicet & auxilium præstando) exserit : q. d. Ostendi potentiam & opem meam Moi & Hebraicis, percutiendo Ægyptios &c. (3.) ejus, qui percutit & punxit ; ut retrahit MANUM, qui punire cessat. Et HECTOR PINTUS. quondam S. Theol. Doct. inque Academia Coimbricensi S. Scripture Profes. in Commentario suo ad Ezechieli locum allegatum phrasin : *manum elevare*, omissa ejus jurandi significatione, aliter interpretatur, scribens : *Levavi manum meam super eos in deserto*. Hoc est, graviter eos puniri. Eiſi non omnes eos interfeci, tamen variis calamitatibus lace-ravi. Postulabat justitia, ut eos occiderem in deserto, ne ter-ram promissionis ingredierentur, sed prevaluit misericordia mea. *Levare manum* hoc loco est castigare & ferire. Vel promittere : *Solemus enim, cum aliquid promittimus, erige-re manum*. Vel est mortem alicui vel vulnera minitari. Et tunc est sensus : *Minatus sum Hebrais flammam variasque a-rumnas, nisi relicto idolorum cultu & repudiatis sceleribus suis ad me ipsum converterentur*. Quinimo, quod testatur POLUS loco modo adducto, phrasis : *elevare manum*, in verbis Ezechieli recitatis, idem est MUNSTERO & CORNELIO A LAPIDE ac gratiam & auxilium pre-stare. Qui ergo Viri Doctissimi, HILLERUS & STARCKIUS, in explicatione textus nostri contro-versi istis, tanquam fundamento quodam, inniti pos-sunt ? (2) apud Ezechiem c XX. v. 5. 6. non legi, quod DEus per nomen suum יהוה juraverit, se Israelitas ex terra Ægypti educturum esse, quo tamen in endicatione Loci Exodi VI 3. HILLERI & STAR-

CKII mens tendit. (II.) Sermonem *assertivum* mutat in *Juramento conceptum*, qualis commutatio, si præfertim nullum ejus in contextu extet indicium, interpretationem quandam facile violentam & contortam reddit, quemadmodum ipse Clariss. STARCK, sententiæ maxime Reverendi D. DANZII de verbis nostris, supra §. III, a nobis expositæ, calculum suum addere renuit, quia enunciationem *redditivam* vertit in *interrogativam*. Conſejus *הַמְּקָרָא* pag. 74. (III.) Radix *רָאַחַ* in Niphal, cum *ל* vel *אֶל* constructa, *videndum* se ab aliquo *sistere*, se alicui *manifestare*, alicui *apparere*, norat, non *jurare*. (IV.) In textus nostri membro priori non asseritur: *Juravi quidem Abrahamo, Isaaco & Jacobo PER JEHOVA*, ut in ejus posteriori inferri queat: At nomine meo יְהוָה, in *juramentum* *assumto*, nondum innotui *Israelitis*.

## §. VI.

Cum majori fors veritatis specie proinde affirmabimus, Exodi VI. 3. de nominibus divinis אל שְׁרֵי & יְהוָה, non secundum litteram sermonem esse, quasi Patriarchæ nomen divinum prius, אל שְׁרֵי, sciverint quidem, posterius autem nomen divinum יְהוָה, simpli citer, & quoad litteras etiam suas, ignoraverint, quia illi ipsi nomen hoc pronunciarunt, & in locutionibus suis usurparunt, v. g. Abraham Genes. XIV. 22. Isaacus Genes. XXVI. 25. Jacobus Genes. XXVIII. 16. sed de *Emphasi & significatione eorum*, ut sensus sit: *manifestavi me quidem Abrahamo, Isaaco & Jacobo ut ens for-*

fortissimum \* & potentissimum, \*\* i. e. promisi quidem \*\*\* Abrahamo, Isaaco & Jacobo, me manu forti & potentissima posteros eorum ex servitute Aegyptiaca  
ere-

\* Vox **לְנָ** descendit a radice **לֵנָ** forte fuit, quæ, per coniuetam linguis Orientalibus litterarum 1 & 1 alternationem, ab Arabico **لِجَّ** subditos Rexit, incrassuit, unde Plurales Arabici **أَوْلَى** & **أَوْلَى** Robusti, fortes, ipsumque Ebraeum **רֹבֶר** Robur, descendunt, oriri videtur, siquidem a radice **لְגַתְתָּ** paruit, dicto audiens fuit, obedivit, 1 in mutato, Ebraeum **וִקְרָה**, obedientia, congregatio, descendit. Ad formam **כְּשָׁ** esset **אֵלָ**, vel ob gutturali **נָ** **אֵלָ**. Verum 1 Syrorum more vocalem suam ad præcedentem litteram schevaram rejicit, inque ea implice, i. e. ita, ut abjiciatur, quieticit. Sic est **לְנָ** DEUS, a fortitudine sua infinita sic dictus. Conf. WASMUTHI Ebrais. Refit. Reg. XXXI. m. III. & DANZII מְרֻקָּ בְּ sive Compend. Gram. Ebraeo-Chald. §. XXV. m. II. n. II. obs. III. p. 56.

\*\* Nomen **רְאֵשָׁ** est a fine per afformativum 1 auctum, a Radice **רְאֵשָׁ** **vastavit**. Ad formam **רְאֵשָׁ** foret **רְאֵשָׁ**. Sed media radicalis geminata abjicitur, & punctum ejus 1, ad præcedentem radicalem, cuius punctum perit, rejicitur. Cumque vox per afformativum creverit, porro media radicalis abjecta in tertia per Dagech F. compensatur, & ob illud præcedens vocalis longa 1, mutatur in brevem. Sic est **רְאֵשָׁ** ens præporens, Omnipotens, quasi Vastator, cui nemo resistere potest. Conf. WASMUTHI Ebrais. Refit. Reg. XLI. m. I. & II. ac Reg. VII. m. II.

\*\*\* Conf. Genes. XV. 13, seqq. & c. XXVIII. 13.

ercepturum esse. Sed nomine meo יְהוָה nondum innoui illis, h. e. ut essentiatorem \*\*\*\* & talem, qui promissa actu implet, me nondum illis in posteris eorum exhibui. Nondum posteros corum ex servitute Aegyptiac a liberavi. Certe, favet expositioni huic contextus. Moses ad DEum accesserat, mœstusque ei sub finem præcedentis capitinis Quinti indicarat, quod Pharaon non solum mandato suo aurem præbere nolit, sed quoque Israelitas magis magisque affligat, & laboribus cumulet. Consolatur propterea DEus sub initium sequentis capitinis Sexti Mosen, & nomen suum יְהוָה tribus vicibus Majestatice nominando, eum certiore reddit, se promissionem suam, majoribus Israelitarum factam, certo impleturum, illosque brevi ex potesta-

te

\*\*\*\* יְהוָה est nomen ab initio per auctum a Radice חַדֵּה Exituit, fuit. Si puncta propria haberet, ex Püal ad formam וְרַבְתָּה formari posset. Ad formam enim וְרַבְתָּה eset יְהֹוָה. Verum, quando Dagesch F. vel, quod fieri aliquando docet B. WASMUTHUS in Ebraismo suo restituo Reg. VII. m. II. ex 1, littera alias Dageschabili, præter necessitatem ejicitur, & sub præcedenti littera per vocalem longam compensatur, vel speciali prorsus anomalia, ut in nomine isto, non tantum Præteriti & Futuri, sed temporis etiam Præsentis index sit, cum præcedenti suo & in cholem resolvitur, fit יְהֹוָה, Nomen, ex tribus temporum formis miro artificio contextum, quod in partes dissolutum, idem est, ac חַדֵּה & חַדְּה erit, est, fuit, ac indigitat Ens, non modo esse suum a se ipso obtinens, verum & rebus aliis omnibus existentibus esse suum largiens. Ens, quod promissionibus suis dat esse suum & complementum, quodque & fuit, & est, & durabit in omnem eternitatem.

9

te Pharaonis & servitute Aegyptiaca liberaturum es.  
EGO, inquit, SUM JEHOVA, Ens, quod  
promissionibus suis esse suum largitur & complemen-  
tum. Manifestavi me quidem Abrahamo, Isaaco & Ja-  
cobo ut ens fortissimum & potentissimum, cum his pre-  
mitterem, quod posteros eorum, Israelitas, manus  
forti & potentissima ex terra Aegypti educere velim;  
Aet nomine meo Jehova, quoad Emphasim suam &  
significationem, nondum innotui Israelitis, siquidem  
hos oneribus Aegyptiis actu nondum levavi. Pepigi  
utique fædus meum cum Patriarchis, ut Israelitis darem  
terram Cananeam, terram peregrinationum Patriarcha-  
rum, in qua peregrinati isti sunt. Quinimo audivi pre-  
terea clamorem filiorum Israel, quos ipsos Egyptii servire  
faciunt, & recordatus sum fæderis mei. Dic ergo ad filios  
Israel: EGO SUM JEHOVA, Ens, quod promis-  
sis essentiam dat, & educam vos ex subjectione onerosa  
Egyptiorum, eripiamque vos ex servitute eorum. Redi-  
bam, inquam, vos per vim robustam & panas magnas.  
Atque assunam vos mihi in populum, eroque vobis DEUS;  
Sicque cognoscetis, quod ego sim Jehova, DEUS uester, qui  
eduxit vos ex subjectione onerosa Egyptiorum. Venire faci-  
am vos in terram hanc, quam jurando promisi, ut darem  
eam Abrahamo, Isaaco & Jacobo, & conferam eam vobis here-  
ditariam; EGO enim SUM JEHOVA, Ens pro-  
missionibus suis esse suum & complementum dans. Fa-  
vet insuper expositioni nostræ RABBI SALOMON  
JARCHI, utpote qui in *Commentario suo ad Exodi Capitum* Sexti versus tertii verba: בָּאֵל טְרוּ scribit;  
הַבְּתֹחוּתָם הַבְּתוּרָה וּבְכָלָן אָמְרָתִי לְהָם אֲנִי אֶל שָׁדָן  
confidere feci illos promissionibus, & in omnibus illis dixi eis,

B

EGO



ישׁׁוּ אֱלֹהִים יְהוָה; אֲכָא דִילָה;  
 לא הַוְרָעֵת אֵין כְּתִיב כֹּאן לֹא נְוָרָעֵת לְהַבָּט  
 אֶלָּא לֹא נְוָרָעֵת לֹא נִכְרָתֵי לְהַם בְּמֹת אַמְּתוֹת  
 שְׁלִוְ שְׁלָלוּה נִכְרָתֵ שְׁזִוְ הַנְּמָן לְאַמְּתֵת דְּבָרֵי שְׁחוּרֵ  
 לֹא הַוְרָעֵת Non dicitur hoc loco הַבְּחָרוּ וְלֹא קִיּוֹתֵ  
*non notum feci, verum non notus factus sum,*  
*i. e. non cognitus sum ab illis per modum, que mihi inest, ve-*  
*r-acitatis, quia propter eam nomen meum Jehova, b. e. ens*  
*fidele promissaque servans, vocatur, propter, inquam, veri-*  
*tatem sermonis mei. Ecce enim sperare feci Patres, sed non*  
*dum praesliti. Favent ei CALOVIUS, HACKSPA-*  
*NIUS, MAJUS aliique, quos magno numero alle-*  
*gant PFEIFFERUS & Clarissimus STARCK locis §.*  
*I. & IV. citatis.*

## §. VII.

Objicit tamen Clarissimus STARCK contra hanc expositionem nostram (I.) eam magis allusivam & nominalem, quam realem & solidam, magis κατ' ἀνθρώπινην quandam questam, quam a Spiritu S. heic intentam esse, exinde quidem ortam, quod in Phrasibus apparere in EL SCHADDAI, & innotescere in nomine JEHOVA oppositio concipiatur, cum revera nulla sit, nec quoad rem haec differant. ¶ Cum per haec tenus probata explicatio nostra contextui congruat, non allusiva solum & nominalis, sed realis simul ac solida, magis a Spiritu S. intenta, quam κατ' ἀνθρώπινην questia est. Cumque nomina שׁ, נָאָן quoad emphasis & significationem suam, existant nomina divina proprietatis & efficacia, Gottes Kraft und Macht Namen, cum hoc tantum discrimine, ut נָאָן, Robur divinum in se respiciat; שׁ, vero simul facit

facultatem, Robur suum potenter exserendi, includat.  
 Nomen יהוה econtra, quoad emphasis & significatio-  
 nem suam, sit שם nomen divinae naturae &  
 essentiae, Gottes Wesen Namen, in phrasibus apparere in  
 EL SCHADDAI, & innoscere in nomine JEHO-  
 VA oppositio quædam revera est, hæque, ea saltem  
 ratione, differunt, qua attributa divina, quamvis re-  
 vera non sint accidentia, neque ab essentia divina re-  
 aliter diversa existant, nihilominus tamen propter in-  
 finitam DEI perfectionem & intellectus nostri imbe-  
 cillitatem inter se, & ab essentia divina, distinguntur.  
 (II.) Urget, DEum Patriarchis apparuisse, seque iis  
 manifestasse tam in אל שׁי, & solo נָא, quam in  
 יהוה & אלהים, ut promissiones, earumque com-  
 plementa æque ex uno nomine, atque ex alio optime  
 dijudicari possint. Et Si respectus habeatur ad pro-  
 missionem de eductione Israelitarum ex terra Ægyptia-  
 ca, non valet, DEum, cum in dicto nostro ad Mosen  
 verba ficeret, Patriarchis apparuisse & in אל שׁי,  
 quam in יהוה, quia Posteros eorum ex Ægypto non  
 dum eduxerat. In genere itaque dici quidem potest,  
 DEum Patriarchis se manifestasse & in אל שׁי, quam in  
 יהוה, non vero habito respectu ad promissionem di-  
 citam, ejusque complementum. Similiter quidem pro-  
 missiones divinæ, earumque complementa, æque ex  
 uno nomine divino, atque ex alio, dijudicari possunt, si  
 ad emphasis & significationem eorum non attendatur.  
 Quandocunque autem hoc fit, promissiones divinæ,  
 earumque complementa, magis ex uno nomine Divino,  
 quam altero, magis v.g. ex יהוה, quam אללה, dijudi-  
 cari possunt. (III.) Instat, DEum Patriarchis nomine

suo נָאָתָה innotuisse, videlicet Abrahamo, dum filium et non solum promisit, sed re ipsa etiam exhibuit. Itena Jacobo, quando promissioni sua, de custodiendo eo, & paterne prospiciendo in via versus Mesopotamiam, dedit esse & implementum. Sed nulla est consequentia, DEus se in aliquibus ut יְהוָה & שָׁמָןְתָא Patriarchis exhibuit. Ergo in omnibus, in promissione etiam de illustri liberatione Ægyptiaca, & possessione terræ Canaan? Accedit, quod pronomen לְהָם in dicto nostro vel ex ipsis STARCKII mente, non tam Patriarchas ipsos, quam eorum posteros, Israelitas, respiciat.

### §. VIII.

Ceterum ex §. præcedaneo VI. præsentis Dissertationis nostræ liquet, nomen יְהוָה simpliciter & quoad litteras suas Patriarchis ignotum non fuisse, quia (1.) ipsi nomen hoc pronunciarunt, & in locutionibus suis adhibuerunt, ac in texto nostro sermo non existit, de nomine יְהוָה secundum litteram, verum de emphasi & significacione ejus. (2.) Pronomen זֶה non referendum est ad ipsos Patriarchas, sed ad Israelitas, tanquam posteros eorum. Exciperet vero quis, inde, quod nomen יְהוָה in locutionibus Patriarcharum occurrat, inferri non posse, Patriarchas nomen illud divinum revera usurpasse ac sciisse, quia Moses demum per Antilepsin quandam nomen hoc adhibuit. Ast frustra id asseritur. Nam Antilepsis locum saltem habet in verbis ipsius Historici, non aliorum, ab Historico recitatorum, utpote quæ fideliter, ac ita, prout prolata fuere, referri debent.



99 A 6943




BR

Dattrau

VS 17. Febr.



### Farbkarte #13



DISPUTATIONEM PHILOGICAM  
IN  
*EXODI CAPITIS SEXTI VERSICULUM TERTIUM:*  
וְאַרְתָּה אֶל אֲבֹרָהָם אֶל יִצְחָק וְאֶל יַעֲקֹב נְאֵל  
שְׁרֵי וְשֵׁטִי יְהוָה לֹא נְרוּתִי לְהַמָּן :

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
CONSENSU  
VENTILABUNT  
PRÆSES

**M. FRIDERICUS VON SCHÆWEN**  
ET  
RESPONDENS  
**HENRICUS CHRISTOPHORUS**  
*Wilhelm/ Reg. Pruss.*  
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO  
A. R. O. cl<sup>o</sup> Iccc xxi, DIE XXI. MAJI AB HORA VIII. AD XI.  
REGIOMONTII, LITTERIS REUSNERIANIS.